

PHILIPPI MELANCHTHONIS.

descriptio nem, notatis æquinoctijs & Solstitijs teneamus: tamen eam multi aut stolidi, aut superbi aspernantur, & suis exemplis ab illa eruditissima parte Philosophiae iuuentutem abducunt. Sed horum iudicia etiam diuinis testimonijs refutantur. Nam cum icriptum sit: Et erunt lumina in signa, tempora, dies, & annos, præcipitur certè aspectio & motuum obseruatio. Omitto cætera. De annis dicam, quorum rationem teneri Deus uoluit, ne retro cogitantes nulla rerum initia constituere possemus, uoluit sciri quæ doctrina primum reuelata sit, quo ordine promissiones propagatae sint, uoluit sciri tempus quo filius Mediator missus est. Deniqz manifestum omnium historiarum in uita lumen esse temporum seriei. Hæc si magna & digna consideratione hominum ducimus, nequaquam aspernanda erit motuum doctrina.

Quanquam ego quidem nullos unquam Cyclopes tam feros fuisse puto, necqz ullam tam horridam barbarem, quæ non mensium & annorum interualla, & spacia notarit, & posteritati tradiderit. Turpisissimum est igitur uiris doctis, qui ad gubernacula Reipub, sedent, has artes uituperare, & ab earum studijs bona ingenia abducere, cū quidem ipsa curia in maximarum rerum deliberationibus, iudicijs, & multis fori negocijs quotidie de utilitate doctrinæ, ac de ratione annorum admoneat.

Cæterum bonæ mentes & si hanc utilitatem, quæ multo maior est, quam ut ullius eloquentia pro dignitate prædicari possit, ex hac doctrina expetant, tamen etiam eò certitudinem motuum considerant, ut in mentibus suis hanc sententiam confirmant. Hunc mundum & hanc totam rerum naturam non casu ortam esse, aut uolui, sed ab aliqua æterna mente architectrice conditam esse. Id clarissime ostendit hic ipse ordo motuum perpetuus summa arte institutus. Nam casu orta non ferruntur certis & æternis legibus, & ordine ad uitæ utilitatem accommodato, ac perpetuo. Hoc mirificum spectaculum ideo propositum est hominum mentibus, ut de Deo nos commonefaceret, quem ita proponstrat, ut Paulus dicat. Penè manibus contrectari Deum posse ostendentem se nobis in hoc suo opificio.

Postremo, dignitatem doctrinæ de motibus eo maiorem esse sciamus, quia multas alias artes complectitur, & fons est Geographiæ, qua certè in uita carere non possumus.

Sed uenio ad diuinatricem, quam multi homines docti magnis uoluminibus insectati sunt.

Est in manibus hominum farrago criminacionum à Pico non scripta, sed